



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu

Schwertfer, Wenzel

Pragæ, 1673

Caput XX. Alia Dictamina & Illuminationes ad Regimen pertinentes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43132

CAPUT XX.

Alia Dictamina & Illuminationes
ad Regimen pertinentes.

Cum potiore vitam in Societate gubernando transegerit, summa cum opinione sanctitatis ac prudentiæ, imò & successu ab omnibus laudato, non mirum fortè videbitur, si aliquamdiu materiæ huic quoad Regimen inhæreamus, & processus ab illo factos in memoriam prodamus.

Quærebatur ab illo: si superior immediatus rationabiliter procedat secundum Regulas cum subdito; is autem extorqueat à mediato superiore, licentiam aliquid agendi contra superioris mentem: Utrum immediatus, mediati superioris licentiam datam deberet statim ratificare? Negabat. Sed possum, inquit, & debeo me opponere usui istius licentiæ mei subditi. quia prudenter tunc suppono superiorem mediatum non scire has & illas circumstantias, ob quas ego subdito meo, hoc vel illud negavi. quas si sciret, non dedisset illi hanc facultatem, aut si superior mediatum sciat illas circumstantias, & sinè debita præmeditatione, motu passionis præventus, velit hoc ipsum fieri, quod sit periculo-

periculosum subdito meo, vel societati, vel contra Regulas, Ordinationes &c. tunc non sum, licet videar esse inobediens, si me pergam opponere huic voluntati mediati superioris. quia tunc scio Universalem obedientiam à Generalibus & Instituto nostro declaratam, velle aliud, quàm velit Provincialis v. g. & subditus meus sive ex ignorantia, sive ex inconsideratione, sive ex malitia. Ergò ego tunc sto pro parte obedientiæ majoris, quam cupio servare & salvare, quam illi alij, volunt per suam obedientiam particularem subruere. Petit exempli gratiâ subditus meus à me licentiam, liberrimè sinè ulla restrictione conversari cum Externis; ego illi nego in illa amplitudine conversationem, quia scio illum periculosè hîc & nunc ambulare. obtinet subreptitiè licentiam à superiore mediato, debeone tunc permittere ut ipse cum manifesto suo periculo, quomodocunque conversetur? Minimè.

Imprudens clamores Querulantium, quòd superior immisceat se in officia subordinatorum officialium, putabat sic illuminandos. si illud; *immiscet se in officium aliorum* significat, quòd superior non permittat quidquam agere, u. g., Procuratorem suum, sed solus agit omnia Oeconomica, & sic de ceteris: eo sensu verum est superiorem non debere se immiscere in officia
subor-

subordinatorum & immediatorum officialium. si autem *immiscere se in officia*, debet significare: superior suâ providentiâ, directione, & consilio influit in acta & negotia inferiorum officialium, reprobat reprobanda, vetat nocitura, non ratificat perperam acta, vult de omnibus actis informari, cum ipsi soli ultimato incumbat respondere pro singulis: hoc sensu tenetur superior se immiscere in omnia officia, & irrationalis est querulatio officialium, ignorantium quid sit esse superiorem.

Horâ Considerationis dicebat hæc potissimum expendenda esse. 1. Spiritus noster 2. Cultus DEI quoad Externos. 3. Æconomia & Provisiones in omni parte. 4. Familia Externa. 5. status Rusticorum subditorum. 6. scholæ, sodalitates, seminarium, quâ Consideratione annotandum, quid Corrigi, quid Provideri, quid exequi oporteat.

Censebat, nunquam à Superiore contristandum esse subditum aliquem probum, habentem desideria perfectionis, qui sibi ob suam devotionem interdixit liberaliores refectiones, vel indixit alicujus cibi ac potûs abstinentiam, ut cogatur dispensare in suo bono proposito in gratiam aliquorum id urgentium prætextu quocunque; sed re vera hoc spectantium, ut sub ejus pallio liberè satisfaciant suæ gulæ, & bonum
hunc

hunc Religiosum, vice aliâ in exemplum citent. Nam virtus inquiebat, Domi nostræ, Domina est; aliorum libertas & sensualitas, est ancilla. quando ergo non possunt simul manere filius liberæ & filius ancillæ, *Eijce ancillam.*

Dicebat, se minimum temporalis rei sollicitudine angî, cùm sciret sibi neminem à DEO per superiores mitti, cui non etiam necessaria submitteret; id quod difficillimis temporibus expertus est. Erat in suos utî lenis & placidus, itâ intra Religiosæ modestiæ finis abundè liberalis. undè fiebat, ut DEO (cui fidebat impensè) subministrante, Collegium ad commoditatem sustentaret. In necessitatibus tamen gravioribus Collegij, præter industriam in omnem occasionem, subsidium aliquod procurandi, præcipua ejus erat fiducia, in Recursu ad orationem, quàm per quadraginta privatas, centum, etiam nonnunquam horas à sibi comîssis institui curabat in Oratorio privato. quibus exemplo antecessit, vel ad Novum Annum, vel ad Octavarium Assumptæ, vel S. Fundatoris celebritatem.

Erudiendæ Juventutis negotium plurimî faciebat, Magistrisq; commendabat, ut meminissent totius Reip. seminarium sibi esse concreditum, Virtutibus & litteris informandum. Quod ut majoribus animis ritè procurarent,

R

oneri-

oneribus alijs levabat, salutem eorum confulebat, opportunas recreationes indulgenter concedebat. ferre tamen non potuit, prædicationes tractationis vel abundantia, quas loquelas extincti spiritûs signa, vel minimè lucentis, arbitrabatur. unde bucolica vocans penitens excerabatur.

In Regimine multa patienter dissimulans, ad sereniora errantium tempora reijciebat. sed reducto ad malaciam subdito, velut malleus conterens petram ad officium revocabat. nullo tamen unquam verbo vel signo facto, quo inordinato motu agi & agere videretur, licet suavi verbo solidæ severitatis fundum attingeret. sed neque ullis superiorum vel subditorum scriptis litteris turbabatur animo. sed ijs acceptis & opportunè lectis, expendebat rem coram DEO, quæ scribebatur. si errorem suum deprehenderet, emendabat tranquillè; si secus, prosequeretur sua moribus antiquis; ratus hanc esse mentem superiorum, ut benè fierent omnia. se autem hîc & nunc bene facere coram DEO agnoscebat. etsi interea minoris spiritûs homines illud ipsius proprio iudicio, & velut imperfectæ obedientia, attribuerent. Non tangebatur nimirum ullo humano respectu, qui solum DEUM & Regulam in omnibus respiciebat.

Politicum spiritum mirè damnabat, veluti humani generis & totius Reip. pestem, apud
eos

eos præsertim, qui sapientiores hujus seculi vi-
 deri volunt, rationem interim status ad con-
 temptum DEI suis malevolis ac rudibus con-
 silijs (licet ad faciem plausibilibus) perducunt,
 Principum, populorum & suarum animarum
 Proditores; nec bonum finem nec bonum mediū
 in pseudopolitia sua tenentes. finem politiæ veræ,
 non aliud debere bonum esse, quam commune;
 cui bonum privatum servire aliter non debet,
 quam medium. quia totum habet jus in partes,
 ut à suis partibus conservetur, etiam cum jactu-
 ra partis. hinc sæpè patimur abscindi manus, pe-
 des &c. Atqui DEUS est bonum commune
 magis quam Respublica & Monarchia & terra &
 Cælum &c. ergo hic esto finis tuus Politice, nō
 velis ei reluctari, qui habet potestatem, perden-
 di tua & te; & cum occiderit corpus, insuper
 animam mittendi in gehennam. sic refutabat
 nervosè Pseudopoliticos, & in compendium
 exactissimum totius Politicæ instructos cautōsq;
 cupiebat Magnates ac Ministros, evellens erro-
 rem, qui astutiam vocat prudentiam. docebat-
 que, verum Regimen consistere in sincera
 intentione Divinæ Gloriæ &
 servitij.